

encyclopaedista erronee dicit), sed lapis horarum appelletur hoc modo:

וצלי ישעיה נביא קדם יי ואתיבית
טולא בצורה אבן שעיא דנחתת במסקנא
: דאהז שמשא לאהורוהי עכר שעין :

Et oravit Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per figuram lapidis horarum quibus descenderat in ascensu Achaz sol retrorsum decem horis.

73. Porro idem encyclopaedista ita pergit: *Sed praecipua quaestio est, qua ratione rex Ezechias possessor huius horologii solaris dicere potuerit, FACILE ESSE, UMBRAM CRESCERE DECEM LINEIS, cum tamen aequae difficile sit, umbram contra ordinarium naturae cursum sive antrorsum crescere, sive retrorsum moveri. Unde ista propositio prophetae: VIS UT ASCENDAT UMBRA DECIM LINEIS, AN UT REVERTATUR TOTIDEM GRADIBUS? Aequae heteroclita et inepta fuit, ac responsio regis.... rex et propheta haerebant ambo in crasso errore.* R. I. Ex hac encyclopaedistae instantia plus non sequitur quam quod rex Ezechias in rebus mathematicis parum fuerit versatus (quod utique concedi potest), et iuxta opinionem vulgi putaverit, facilius esse umbram secundum coeptam iam viam antrorsum moveri, quam contra ordinarium morem retrorsum verti. R. II. Ad summum sequeretur, quod et rex petierit, et propheta promiserit motum umbrae non subitum et velut momentaneum (aeque enim difficile vel miraculosum est, umbram momentanee decem lineis crescere,

(1) In Isai. c. 58, v. 8.

(2) Tirinus, Abulensis, Sanctius, Menochius.

quam reverti); sed successivum. Tunc enim omnino verum est, quod rex dixit, scilicet facile seu naturale esse, quod umbra decem lineis successive crescat, sed difficile i. e. contra consuetum naturae ordinem est, quod revertatur retrorsum decem gradibus. Unde cl. Weitenauer (1) concludit, et regem et prophetam non momentaneam sed successivam mutationem umbrae intellexisse. Idem auctor ibidem cum aliis (2) contendit, decem lineis seu gradibus, quibus regressa est umbra, non designatas fuisse totidem horas, sed tantum totidem semihoras. Sic enim omnia de hoc miraculo retrocedentis umbrae facilius explicantur. Verum satis de his.

74. QUARES LXV. *Quomodo concordat illud (IV. Reg. 25, v. 7): VINXIT (Nabuchodonosor rex Sedeciam) CATENIS, ET ADDUXIT IN BABYLONEM, cum illo (Ezech. 12, v. 13): NON VIDEBIT (Sedecias) TERRAM CHALDAEORUM. An Sedecias adductus Babylonem non vidit terram chaldaeorum?* R. Utrumque est verum. Nam in Babylonem adductus est Sedecias regemque Nabuchodonosorem vidit in Reblata, prout, ei praedixit Ieremias (3). Neque tamen vidit Babylonem, quia eo ingressus non est, nisi effossis prius oculis (4). Narrat Iosephus (5), Sedeciam regem, postquam Ieremias praedixisset, adductum illum iri in Babylonem, cum haec duo putaret, simul conciliari non posse, utrumque vaticinium et Ezechielis et Ieremiae contempsisse. Sed revera, ut vidimus, Deus utrumque vaticinium complevit.

(3) Cap. 34, v. 3, et c. 39, v. 5-8.

(4) Ierem. c. 59, v. 7, et c. 52, v. 11.

(5) L. 10 antiq. c. 11.

SECTIO II.

DE DUOBUS LIBRIS PARALIPOMENON

Geminos Paralipomenon libros una contextus serie iungebant olim hebraei; hodie vero in bibliis pro more nostro eos distinguunt; fors ideo, ut concordantiis, quas a latinis acceperunt, commode uti possint. Totum opus inscribunt דברי הימים *Dibre Haiamim* i. e. *verba dierum*, quasi dicas diarium sive chronicon res gestas per singulos dies, i. e. per singula tempora et saecula breviter enarrans. Spectari enim hi duo libri possunt velut brevis quaedam epitome universalis historiae ab Adam usque ad finem captivitatis babilonicae; praecipue vero videntur compendium esse annalium, qui frequenter in LL. Regum (1) citantur hoc modo: *in libro verborum dierum regum Iuda vel Israël.* Nos ambos illos libros graeco vocabulo a LXX interpretibus accepto παραλειπόμενα appellamus, h. e. *praetermissa*, quia quaedam in iis supplentur, quae in praecedentibus Scripturae libris, praesertim regum, praetermissa sunt, vel non nisi leviter tacta. Praecipuus tamen auctoris horum librorum scopus non eo spectare videtur, ut supplementum caeterorum s. Scripturae librorum daret; sed potius, ut sub ipsis legentium oculis exhiberet, quis olim ante captivitatem babilonicam familiarum status fuerit, quae haereditas, quae munera, genealogiae, familiae et ordines sacerdotum et levitarum:

res enim erat maximi post captivitatem momenti, ut singulis vetus ordo, prima munera, et avita haereditas iuxta veterum tabularum normam constaret. Denique si petas, quisnam libros Paralipomenon composuerit? R. Auctor est incertus. Alii Esdrae tribuunt, alii Ieremiae; certi nihil habetur ex Scriptura. Verosimilior tamen est sententia, quod Esdras ex publicis analibus sive diariis eos divino dictante Spiritu conscripserit, quibus tamen posteriores prophetae aliqua addiderunt. Sic genealogia Zorobabelis ad 12 usque generationem (2) deducta, ab Esdra prius mortuo scripta esse non potuit, cum duodecim generationes sane spatium, ut minus, 300 annorum exigant.

CAPUT I.

De libro I. Paralipomenon.

75. QUARES I. *An chronotaxis regum Iuda in LL. Regum et Paralipomenon ubique concordet? Item an LL. Paralipomenon etiam cum aliis historicis V. T. libris consentiant?* R. Ad utrumque quaesitum affirmative. Et quidem concordiam chronotaxeos regum Iuda in libris Regum et Paralipomenon, in schemate accurate exhibet *Hermannus Goldhagen* (3). Quomodo vero sibi respondeant anni regum Iuda et anni regum Israël, idem auctor (4)

(1) III. Reg. c. 14, v. 19; et c. 15, v. 7; et IV. Reg. c. 1, v. 18; et c. 8, v. 23, ac alibi saepius.

(2) I. Paralip. c. 5, v. 19, etc., ubi duodecim generationes exprimentur his

nominibus: Zorobabel, Ananias, Phaltias, Hjesias, Raphaia, Arnan, Obdia, Sechenias, Semeia, Naaria, Elioenai, Oduia.

(3) Introd. in s. Script. part. 2, n. 79.

(4) Ibid. p. 3 ad finem.

cum *Calmeto* (1) et *Xav. Widenhofer* (2) exhibet in tabula chronologica generali historiae biblicae.

Ad ostendendam vero librorum Paralipomenon consensionem cum aliis historicis V. T. libris praeclaram exhibet εν παραλληλισμῷ tabellam *Rondet* (3), et nos ipsi cum *Tirino* (4) et aliis interpretibus eandem consensionem in sequentibus qq. ostendimus.

Ceterum cum *Calmeto* (5) praevidio observo, audaciae esse nunquam ferendae, si quis de rebus longa aetate remotis, et exploratae alioquin auctoritatis (qualia sunt gesta in II. Paralipomenon, vel in aliis s. Scripturae libris relata) dubitare aut iudicium ferre ex arduis nonnullis occurrentibus difficultatibus praesumpserit. Dolenda profecto res! Cum de sacris Scripturis, rebusque ad religionem pertinentibus agitur, increduli nihil indulgendum arbitrantur. Levissima quaeque argumenta, et quidquid tandem fuerit, quo religioni invidia creetur, illud tanquam maximi momenti imbecillas illas mentes terret; cum alioqui nullo solidissimo pro religione adducto argumento moveantur. Libros et historias profanas quas in rem suam esse putant, facile omnes suscipiunt; cum vero de sacris libris suscipiendis agitur, res est argumentorum validissimorum armis evincenda; semper enim imponi sibi aliquid suspicantur.

76. QUÆRES II. Ad quid prosint prolixi nominum catalogi, et longis-

(1) In dictionario biblico ad finem t. 2.

(2) S. Script. dogmat. et polem. explic. ad finem t. 1.

(3) In diario ecclesiastico, *Journal ecclésiastique*, mense julio 1765.

(4) Ad finem tom. 2, in indice apparentium antilogiarum s. Scripturae.

(5) Paefat. in lib. Paralip.

(6) I. Timoth. c. 1, v. 4.

(7) Ad Tit. c. 5, v. 9.

simae genealogiae L. I. Paralip. primis 9 capitibus, et alibi frequenter in Scriptura contentae; cum tamen apostolus (6) *moneat, ne intendant homines FABULIS ET GENEALOGIIS INTERMINATIS. Et rursus Titum* (7) *hortetur: STULTAS AUTEM QUAESTIONES ET GENEALOGIAS... DEVITA. SUNT ENIM INUTILES ET VANAE? R. Eos, qui nominum catalogos in sacris literis occurrentes contemnunt, vocat d. Chrysostomus* (8) *homines rudes, ebriosos, et carni viventes, ac plane indignos, quorum rationes audiantur. Multarum siquidem rerum, inquit, monumenta sunt nomina. Et alibi* (9): « Sunt, inquit, homines quidam opifices, qui posteaquam sacros libros in manus sumpserint, deinde repererint, vel annorum numerum positum, vel nominum recensioem, illico praetercurrunt, et incusantibus respondent: nomina tantum sunt, neque quicquam habent utilitatis. Quid vis? Deus loquitur; et tu audes dicere, nulla est dictorum utilitas? » Vana igitur non sunt, quae in sacris literis nomina recensentur, suasque habent utilitates, finemque sapientissimum. Fateor quidem inutiles esse illas genealogias, quibus iudaei distinguendis incumbant. Sive essent illae, quas fingebant, dicentes primo homini duas uxores a Deo coaccessas, et ex quaque suam posteritatem propagatam; ut refert d. Augustinus (10), et d. Anselmus (11): sive essent fabulosae apud gentes teogniae, sive deorum origines; ut d. Chrysostomus (12) ar-

(8) Homil. 51 in epist. ad Rom.

(9) Homil. 2 de verbis Isaiae.

(10) Lib. 2 contra advers. legis, cap. 1.

(11) Comment. in I. Timoth. c. 1, v. 4.

(12) Loc. cit. dicens: « Arbitror autem illum (nempe Apostolum) hoc in loco etiam gentiles significare voluisse, cum dicit: *Fabulis et genealogiis*. Quippe illi deorum suorum seriem enumerarent. »

bitratur: sive denique essent illae genealogiae, quas iudaei ex primis patriarchis Abraham, Isaac et Iacob, non quidem secundum divinas literas, sed secundum suas traditiones multis mendaciis corruptas, recensebant; partim ut suam doctrinam, et antiquitatis peritiam venditarent; partim ut suam quisque nobilitatem praeferret, dum se optima de stirpe satum testaretur: partim, ut veram Christi Domini a Davide genealogiam adulterarent, atque adeo eum a posteris David et quod inde consequitur, a dignitate Messiae excluderent; ut *Lyranus* interpretatur. Has igitur genealogias recte monet apostolus penitus abolendas, cum non solum sint inutiles, sed perniciosae. At vero illae, quae in sacris literis continentur, multum habent utilitatis. Prima est, ut distincta tribu memoria conservetur; et proinde, ex qua natus fuerit Messias, dignoscatur. Unde *Herodes*, qui alienigena erat, gentili de stirpe natus, ut refert *Eusebius* (1), postquam regnum fraude quaesivit, « conscius, inquit, d. Ambrosius (2), ignobilitatis suae, ne qua posteris suis, vel de praescripto veteri quaestio moveretur, Scripturas eorum (*iudaeorum*) incendit: existimans, quod si indicia de publico sustulisset, nullis aliis testimoniis clarere posset, quis de patriarcharum, vel proselytorum veterum genere emanaret. Sed, ut pleraque curae humanae sunt, cognitioni hoc, et indagini veritatis praeiudicare non potuit. » Itaque genealogias tollebat, quia se alienigenam esse, convinci, iis sublatis, non posse putabat. Erant igitur illae genealogiae necessariae ad propriam cuiusque familiam, ac tribum distinguendam, in gratiam

(1) L. 1 Histor. eccl. c. 6.

(2) L. 5 in Lucam.

Messiae, ex tribu, unde nasceretur, cognoscendi. Altera ex his genealogiis utilitas est, ut alia mysteria reserentur; prout *Mendoza* (3) ex *d. Irenaeo* (4) de genealogia Christi Domini apud Lucam cap. 3 ostendit. Tertia et specialis utilitas nominum et genealogiarum in Paralipomenis contentarum est, ut velut sub ipsis legentium oculis exhibeatur quis olim ante captivitatem babilonicam familiarum status fuerit; uti iam supra in praefatione ad II. Paralip. observavimus.

77. QUÆRES III. Quomodo (1. Paralip. 1, v. 36) *Thamna numerari possit inter filios Eliphaz, cum tamen Thamna* (Genes. 36, v. 12) *dicatur fuisse CONCUBINA ELIPHAZ? R. Eliphaz* habuit quidem concubinam, *Thamna* dictam, sed et filium eiusdem nominis. Nam quamvis Genes. loc. cit. dicatur: *Erat autem Thamna concubina Eliphaz . . . quae peperit ei Amalech*: tamen Paralip. loc. cit. *Eliphaz* in textu hebraeo et graeco praeter filium *Amalech* dicitur habuisse filium *Thamna*. Textus enim hebraeus ita sonat: *Filii Eliphaz... Thamna, Amalech*. Et simpliciter textus graecus: *Filii Eliphaz . . . Thamna, et Amalech*.

78. QUÆRES IV. Quo fundamento (1. Paralip. 1, v. 38) *filii Seir i. e. Esau vocentur Lotan, Sobal, etc.; cum Esau nullos habuerit filios horum nominum? R. Seir*, de quo hic sermo est, fuit alius ab *Esau*, pater *horraeorum*, qui ante *Esau* in Idumaea habitavit, et de quo Genes. 36, v. 20 scriptum est: *Isti sunt filii Seir Horraei, Lotan et Sobal etc.*

79. QUÆRES V. Quomodo (1. Paral. 2, v. 15) *David dici possit se-*

(3) Comment. in IV. lib. Reg. annotat. 2 proemial., sect. 4, n. 15.

(4) L. 5, c. 55.

ptimus filius Isai; cum tamen (1. Reg. 16, v. 11) referatur, quod inter septem filios, quos Isai Samueli stitit, non fuerit David? R. cit. loc. Paralip. non omnes numerantur filii Isai, sed unus praetermittitur ob causam, ut *Cornelius a Lapide* (1) ait, nobis incognitam, forte eo quod octavus genitus sit ex concubina, vel uxore secundaria; vel, ut *Lyran.*, *Caiet.* et *Dion.* censent, eo quod Isai unum ex illis octo filium haberet duntaxat adoptivum, non naturalem, nimirum *Ionathan* filium *Semmaa* (2), id est, nepotem suum ex tertio filio suo *Simmaa*. Forte etiam dici posset, ut *Tirinus* (3) ait, ex octo propriis et naturalibus filiis unum praematura morte sublaturum in ipso adolescentiae flore, nulla dum re gesta, quae memoriae mandari mereretur: ac proin cit. loc. Paralip. silentio suppressum fuisse. Ecce quot viae pateant, Scripturam ab antilogiis seu contradictionibus immunem pronuntiandi.

COROLLARIUM. Nulla realis contradictio est, dum loc. cit. Paralip. in versione syriaca et arabica octo ponuntur Isai filii, et quidem *Eliu* septimus, et *David* octavus: contra in textu hebraeo et graeco, ac in nostra vulgata latina loc loco tantum septem ponuntur, et quidem *David* dicitur fuisse septimus Isai filius. Nimirum in textu hebraeo, graeco et latino praetermissus est octavus ille Isai filius, de quo paulo ante locuti sumus: hoc autem praetermisso, Da-

(1) Comment. in I. Reg. c. 16, v. 10.

(2) II. Reg. c. 15, v. 5, dicitur: *Erat autem Ammon amicus, nomine Ionadab, filius Semmaa fratris David, vir prudens valde.* Et ibidem c. 21, v. 24: *Percussit autem eum Ionathan filius Semmaa fratris David.* Unde *Calmet* in suo dictionario bibl. ita ait: *Simmaa, sive Semma filius Isai; et frater Davidis, pater Ionathan et Ionadab.*

vid est septimus Isai filius, et non octavus.

80. QUÆRES VI. *Quomodo* (1. Paralip. 3, v. 5) *Davidi de Bethsabee quatuor filios natos fuisse dici possit; cum tamen* (Prov. 4, v. 3) *Salomon se UNIGENITUM CORAM MATRE sua vocet?* R. *Salomonem* in Proverbiis vocari *unigenitum*, id est, *unice dilectum*, ut ibidem indicant LXX interpretes hoc modo: *Υἱὸς γὰρ ἐγενόμην κἀπὸ πατρὸς ὑπέρμοος, καὶ ἀγαπώμενος ἐν προσώπῳ μητρὸς.* *Filius enim fui et ego patri obediens, et dilectus in facie matris: vel vocatur Salomon unigenitus coram matre sua, id est, dilectus a matre sua, sicut diligitur solent unigenitus; quam tamen particulam sicut hebraei in comparationibus saepe omittunt.* Ceterum quod *Salomon* non absolute dici possit unigenitus fuisse matri suae ex *Davide* filius, inde patet, quia *Bethsabee* etiam filiolus ex adulterio cum *Davide* commisso suscepit (4).

81. QUÆRES VII. *Quomodo illud* (1. Paral. 3, v. 19): *DE PHADAIA ORTI SUNT ZOROBABEL, ET SEMEI: ZOROBABEL GENUIT MOSOLLAM, concilietur cum verbis Matthaei 1, v. 12 et 13: SALATHIEL AUTEM GENUIT ZOROBABEL; ZOROBABEL AUTEM GENUIT ABIUD. Si enim Zorobabel ortus est de Phadaia, quomodo poterit simul esse ortus seu genitus de Salathiele?* R. *Phadaia* et *Salathiel* erant fratres eodem patre *Iechonia* geniti (5). Uterque habuit filium *Zorobabel* nomine. Ille *Zorobabel Phadaiae* filius genuit *Mosollam*: alter *Zorobabel Salathielis* filius genuit *Abiud* (6). At

(3) Comment. in I. Paralip. c. 2, v. 15.

(4) II. Reg. cap. 11, v. 27, et c. 12, v. 13.

(5) Vide I. Paralip. c. 3, v. 17 et 18.

(6) Praeter alios interpretes hac de re vide, si lubet, *Xav. Widenhofer* s. Script. dogmat. et polemic. explicat. tom. 1, comment. in I. Paralip. c. 3, v. 19.

DIES: *Ierem.* 22, v. 30. *Iechonias* vocatur *vir sterilis*: ergo non potuit esse pater *Phadaiae*, *Salathielis* et aliorum filiorum. R. Dicitur est *vir sterilis*, non quia filios non habuit; sed quia nullus illorum patri in regno successit, ut ibidem propheta *Ieremias* se explicat his verbis: *Nec enim erit de semine eius vir qui sedeat supra solium David, et potestatem habeat ultra in Iuda.* Igitur *Iechonias* solum vocatur *sterilis* respective ad filium regem, qui sedeat super solium *David* regium: quod verum fuit, quia nullus ex filiis *Iechoniae* fuit rex Iuda.

82. QUÆRES VIII. *An aut quomodo promissio divina Davidi* (1. Paralip. 10, v. 11 et 12) *facta: CUMQUE IMPLEVERIS DIES TUOS UT VADAS AD PATRES TUOS, SUSCITABO SEMEN TUUM POST TE, QUOD ERIT DE FILIIS TUIS, ET STABILIAM REGNUM EIUS. IPSE AEDIFICABIT MIHI DOMUM, ET FIRMABO SOLIUM EIUS USQUE IN AETERNUM, impleta fuerit; cum tamen Nabuchodonosor solium Salomonis in Sedecia penitus everterit?* R. Deus verbis citatis *Davidi* revelavit partim *Messiam* ex ipso nasciturum, partim *Salomonem* velut huius *Messiae* typum. Hinc quaedam conveniunt *Messiae* etiam literaliter, ut illud: *Firmabo solium eius in aeternum; imo etiam Salomoni non*

quidem in persona propria sed in persona *Messiae*, qui etiam ut homo, et secundum carnem a *Salomone*, a quo descendit, assumptam in aeternum regnabit: vel etiam solum *David* aliquo sensu, ut *Calmet* (1) existimat, firmatum dici potest in aeternum, quia posteri *David* diu regnum possederunt; quamvis non semper eodem potiti sint. In Scripturis autem in aeternum non semel diuturnum tantummodo tempus (2) significat. *Salomoni* vero literaliter conveniunt illa verba: *Ipse aedificabit mihi domum; allegorice vero Messiae*, velut novae Dei ecclesiae fundatori.

83. QUÆRES IX. *Quomodo concilietur illud* (1. Paralip. 18, v. 12) *ABISAI FILIUS SARVIAE PERCUSSIT EDMO IN VALLE SALINARUM, DECEM ET OCTO MILLIA, cum verbis in titulo Psalmi 59: ET CONVERTIT IOAB, ET PERCUSSIT IDUMAEAM IN VALLE SALINARUM DUODECIM MILLIA. Si Abisai Idumaeam percussit; ergo non Ioab. Si hac victoria percussa sunt decem et octo millia; ergo non tantum duodecim millia. Aut quomodo ista conciliantur?* R. Videntur hae fuisse duae diversae victoriae partiales; una totalis: quarum prima, ab *Isai* obtenta, etiam *Davidi* (3) tribuitur, caesis in acie octodecim millibus hostium. Sed ut eadem victoria com-

(1) Comment. in I. Paralip. c. 17, v. 12.

(2) Sic *David* I. Paralip. c. 15, v. 2, ait, Deum elegisse levitas ad ministrandum sibi usque in aeternum. Et *Ezechiel* c. 27 v. ultimo de urbe *Tyro*, ait: *Non eris usque in perpetuum, i. e. in longum tempus, 70 scilicet annorum, post quod reaedificaberis, ut dicitur apud Isaiam, c. 25, v. 15, etc. Similiter s. Augustinus* QQ. in *Genesis*, q. 51, tractans illud *Genesis* c. 17, v. 8: *Dabo tibi et semini tuo terram peregrinationis tuae, omnem terram Chanaan in possessionem aeternam,* « quæstio est, inquit, quomodo dixerit aeternam, cum israelitis temporaliter data

sit? » Et respondet, esse modum loquendi Scripturae, ut aeternum appellet, cuius rei finis non definitur, quamvis aliquando habiturum sit finem.

(3) III. Reg. c. 11, v. 15, dicitur: *Fecit quoque sibi David nomen, cum revertetur capta Syria in valle Salinarum, caesis decem et octo millibus.* Unde *Calmet* comment. in I. Paralip. c. 18, v. 12, loquens de prima illa victoria ab *Isai* obtenta, ita ait: « Et sane ex regum libris videtur rex ipse (*David*) huic interfuisse praelio; quare fit, ut velut regi, atque expeditionis principi victoria *Abisai* illi referatur accepta. »

pleretur, residuos fugitivos hostes persecutus *Ioab* dux alterius agminis percussit duodecim millia, de quibus citatus psalmus agit; ideo additur: *Et convertit Ioab etc.*

84. QUÆRES X. Num credibile sit, quod *David Salomoni filio suo ad aedificandum templum* (1. Paralip. 22, v. 14) legaverit AURI TALENTA CENTUM MILLIA, ET ARGENTI MILLE MILLIA TALENTORUM? *Et praeterea de cumulatis a se pecuniis reliquerit* (1. Paral. 29, v. 4): TRIA MILLIA TALENTA AURI DE AURO OPHIR: ET SEPTEM MILLIA TALENTORUM ARGENTI PROBATISSIMI, AD DEAURANDOS PARIETES TEMPLI? Num, inquit multi ex philosophis et politicis hodiernis, haec credibilia sunt? *Et profecto, ait quidam incredulorum, in toto terrarum orbe non fuit tempore Davidis tanta numeratae pecuniae quantitas data, quantam is filio suo Salomoni reliquisse hic dicitur.*

¶. Equidem non diffitemur, ingentem et primo intuitu prope incredibilem fuisse *Davidis* et *Salomonis* thesaurum, qui loc. cit. describitur. Certe sola illa *centum millia talentorum auri, et argenti mille millia*, de quibus in primo citato textu mentio fit, conficiunt, teste I-

(1) Nota addita in I. Paralip. c. 22, v. 14; item in suo lexico biblico voc.: *Talentum*.

(2) Comment. in I. Paralip. c. 22, v. 14.

(3) 12 Tractat. de ponder.

(4) De comparatione veter. et recent. monet. c. 1.

(5) Tom. 3. Apparatus urbis ac templi hierosolymitani p. 2, lib. 2, disp. 4, c. 55.

(6) Comment. in II. Paralip. c. 25, v. 6; item ad initium, tom. 1 comment. in s. Script. prope finem *prolegomenorum de antiquis ponderibus et monetis*.

(7) Réponses critiques, tom. 1, n. 56.

(8) In horum sententiam etiam propendit cl. *Weissenbach*, qui tom. 2 *Nov. form. theol. bibl.* l. 4, q. 2, pag. 140 et 141, ita disserit: « Ego, qui summam

gnatio Weitenauer (1), nostratum floraenorum milliones 3520: iuxta *Cornelium a Lap.* (2) vero ascendunt ad 2400 milliones aureorum francicorum. Unde non pauci, inter quos *Mariana* (3) et *Brerewoodus* (4) existimant, talenta a *Davide* relicta minoris fuisse valoris, quam reliqua quaecunque talenta hebraea, quorum apud *Moysen*, aut in aliis Scripturae locis ante *Davidis* et *Salomonis* tempora mentio fit. Verum eiusdem ea fuisse valoris cum priscis illis ante tempora *Davidis* talentis hebraeis, contendunt et probant *Villalpandus* (5) et *Tirinus* (6). Igitur quidam alii interpretes teste *Bullet* (7) aliter respondebant, suspicati, quod in citatis Scripturae locis thesaurus *Davidis* et *Salomonis* per figuram hyperboles sit exaggeratus, adeoque non stricte ad literam intelligendus. Verum si figura hyperboles adhibetur, non solet poni certus numerus ac determinatae partes, ex quibus ille constat; prout tamen fit in illis Scripturae locis. Iterum alii (8) existimabant, cit. loc. sacrae Scripturae aliqua menda per errorem librarium seu describentium in illos numeros irrepsisse. At hac respon-

res istas transigo, malim dicere, fors menda aliquot (ut fere fit) in hos numeros irrepsisse. Etsi enim non esset ratio coniecturae eius; etsi nullus locus, versio nulla, exemplar nullum iniiceret suspicionem, ipse numerus *duodecim millium millionum ludovicaeorum* est aliquid prorsus enorme; est summa, qualem nemo vidit, et qua templum ex mero argento posset excitari. Eiusmodi menda, quae vitio librarium frequentissima sunt apud profanos, non nocent auctoritati divini Codicis: nec ideo conclamatum est de illius integritate, si semel ac iterum in re prorsus singulari et exotica, quae fidem vel mores nequaquam tangit, ad lapsum exercerentis confugiamus; praesertim cum in *arabica versione* non nisi mille talenta auri, et mille talenta argenti numeremus. Ita ille.

sione non debemus uti, quamdiu possibile est invenire aliam; ut cl. *Bullet* (1) recte monet.

85. Omissis igitur responsionibus hucusque recensitis, affero aliam, quae est communior interpretum, nominatim *Cornelii a Lapide* (2), *Calmeti* (3); et aliorum contententium, haud esse incredibile, tantum thesaurorum fuisse intra plures regiminis annos, nimirum per diuturnum imperium quadraginta annorum (4) a *Davide* collectum, si consideremus, 1. Tributa subiectarum ipsi gentium. 2. Spolia regum vel hostium ab ipso devictorum. 3. Regni israelitici iura et israelitarum vectigalia et census persolutos. Sic quisque israelitarum pendebat quotannis in usus sacros dimidium siclum iuxta legem mosaicam (5). Quocirca israelitae etiam extra Iudaeam degentes, per totum orbem dispersi, hanc capitationem quotannis mittebant Hierosolymam, cumque eorum ingens esset numerus, ingentem conflabant auri summam, ut *Cornelius* (6) probe observat. 4. Mercimonia ditissima cum finitimis gentibus exercita. 5. Classes in *Ophir*, unde aurum referebatur. 6. Rei familiaris parsimoniam, cui per ea tempora non privati tantum, sed rex ipse hebraeorum studebat. 7. Denique singularem Dei favorem et providentiam, cui nihil est impossibile, nihil difficile; quare ei facile fuit omnem hanc divitiarum copiam *Davidi* suggerere ad fabricam tam magnifici templi: unde ipse volens templum hoc a chaldaeis exustum restaurari

(1) Loc. cit.

(2) Comment. in I. Paral. c. 22, v. 14.

(3) In dissertatione posita ante eiusdem auctoris commentar. in I. III. Regum.

(4) III. Reg. c. 2, v. 11, ubi dicitur: *Dies autem quibus regnavit David super Israel, quadraginta anni sunt.*

per *Zorobabel* et iudaeos, pauperes eos ad fabricam animat, per prophetam *Aggaeum* (7) dicens: *Meum est argentum et meum est aurum.* Praeterea *Calmet* (8), aliique asserunt, haberi exempla non imparium aut etiam maiorum divitiarum *magni Mogolis*, regum persarum, regum *Peruvii* et *Mexici*, imperatorum *sinensium* etc. etc., quam fuerint illae *Davidis* in Scriptura assertae. *Sardanapalus* quoque rex Assyriae auctore *Ctesia* (9) in urbe metropoli obsessus, ingenti accensa pyra combussit *centum quinquaginta lectos aureos, totidem aureas mensas, millionem integrum talentorum auri, decies totidem argenti, cum vestibus et suppellectili alia pretii incredibilis.* Sed et filiis suis fugientibus commeatum *trium millium talentorum auri* dedit. Si hactenus dicta omnia simul spectentur, numquid non credibile sit, *Davidem* per plures regiminis sui annos assertum a sacro codice thesaurum coacervare potuisse? Accedit aliud insigne s. Scripturae testimonium, quo comperitur est tantum opes israelitarum sub *Salomone* crevisse, ut *argentum in diebus illis pro nihilo reputaretur* (10). Et tanta esset copia argenti in *Ierusalem*, quasi lapidum (11). *Erat autem pondus auri, quod afferebatur Salomoni per singulos annos, sexcenta sexaginta sex talenta auri: excepta ea summa, quam legati diversarum gentium, et negotiatores afferre consueverant, omnesque reges Arabiae et satrapae terrarum, qui comportabant aurum et argentum Salomoni* (12). Fac iam

(5) Exod. c. 30, v. 13.

(6) Loc. cit.

(7) Agg. 2, v. 9.

(8) Loc. cit.

(9) In fragmento.

(10) II. Paralip. c. 9, v. 20.

(11) Ibidem, v. 27.

(12) Ibidem, v. 15 et 14.

computum et attende quod hebraeorum talentum argenti valeat 1500 imperiales, talentum auri vero 18000 imperiales. Porro, si tantae fuerunt opes *Salomonis*, quidni etiam divitiae *Davidis* tantae esse potuerint, quantae in sacris litteris describuntur? At

DICES: Si tam magnae fuerint *Davidis* divitiae, quomodo ergo *David* ait haec se collegisse in paupertate? Nam ad *Salomonem* filium suum dixit (1): *Ecce ego in paupertate mea praeparavi impensas domus Domini, auri talenta centum millia, et argenti mille millia talentorum etc.* R. Ideo *David* se haec in paupertate sua praeparasse dixit, PRIMO, quia haec omnia prae Dei dignitate et maiestate erant parva et pauca. SECUNDO in paupertate, id est, in multo labore et afflictione. TERTIO, quia haec omnia erant Dei; nam *David* ex se pauper erat, et nihil habebat, nisi quod a Deo acceperat.

86. Quod si tamen alicui supra allata *Cornelii a Lap.*, et *Calmeti* responsio de possibilitate tanti thesauri a *Davide* collecti non videatur ex integro satisfacere, poterit adhuc aliam, et ad tollendam difficultatem, ut videtur, aptiorem responsionem in subsidium vocare, quam suppeditat cl. *Bullet* (2), hac de re hunc in modum disserens: « Ad solvendam, inquit, difficultatem de qua agitur, id tantum supponamus necesse est; quemadmodum gallis, ita hebraeis quoque monetarum species fuisse pares quidem nomine, at valore ac pondere admodum dispares. Quantam in pretio mutationem subiere nostri denarii, solidi, librae, thaleri (3)? Quantus foret exteri cuiusdam error, qui si inaudiat, regem nostrum

(1) 1. Paralip. c. 22, v. 14.

(2) Réponses critiques, tom. 1, n. 56.

in annos singulos trecentos librarum miliones percipere substituens in locum monetae fictae, cui nomen *libra* (livre) est, ideam τὸν *pondo*, sibi persuaderet, annuos illius redditus constare sexcentis millionibus *marcarum* argenti, quae argenti vis si *marcam* quinquaginta libras (monetarias intellige) valere supponas, summam conficit triginta millium millionum talium librarum? At vero eodem in errore versantur illi, qui nulla agnita *monetae fictae* specie, cui talenti nomen esset, solum *pondus talenti* apud hebraeos in usu fuisse existimant, atque ea de causa contendunt, *Davidem* duodecies mille miliones ad construendum templum obtulisse... Haud equidem negaverim *Scripturam* sacram discrimen inter *monetam* quae talenti nomen habeat, et inter *pondus* talenti disertis verbis non exponere. At neque opus erat, expressam mentionem facere de hac duplici talenti specie apud hebraeos usitata; cum res per se sit satis manifesta. Quis enim fieri potuisse credat, ut aliquis israelitarum thesaurum duodecies mille millionum accumularet? » Vult nimirum laudatus auctor dicere, per se manifestam esse necessitatem distinguendi duplicem talenti speciem, unam quoad *pondus*, et alteram, quae quoad valorem et pretium multo minor fuerit, *monetariam* in sensu explicato; cum incredibile sit, tantum thesaurum talentorum auri et argenti, si quoad *pondus* spectentur, a *Davide* collectum esse pro structura templi. Ceterum apud veteres usitatum fuisse, ut inter geminam illam talenti speciem distinguerent, et talentum quoad *monetam fictam* spectatum multo minoris fuisse pretii, quam illud idem quoad *pondo* considera-

(3) Thalerus gallicus continet 6 libras; libra 20 solidos; solidus 12 denarios.

tum ostendit cl. *Bullet* loc. cit. ita pergens: « Graeci quoque scriptores nullibi expressam mentionem de duplici illa talenti specie faciunt: et tamen admittendum est, quod apud illos discrimen geminae illius speciei fuerit, nisi concedere velimus, illos res prorsus incredibiles narrasse. Refert *Homerus* (1) *Achillem* in ludis funebribus ob defunctum *Patroclum* institutis, primum praemium curriculo inter se decertantibus statuisset personam captivam cum tripode aurea: secundum praemium sexennem equam uterum gestantem: tertium lebetem quatuor mensuras capientem, album etiamnum, quia nondum igni impositum: quartum duo auri talenta; quae proin minoris pretii fuerint necesse est, quam lebes ille, vel equa uterum gestans. Unde concluditur, illa non fuisse talenta auri quoad *pondo* spectata, utpote quae 72000 libras gallicas (*livres*) confecissent; quod pretium nec lebes, etsi argenteus fuisse ponatur, nec equa uterum gestans ullo modo adaequasset: sed verisimiliter illa duo talenta auri erant *monetae* aureae, *talenti* quidem nomine praeditae, sed multo minoris pretii, quam essent duo talenta auri quoad *pondo* talia. » Plura eiusmodi exempla ex profana historia idem auctor addit, quibus confirmatur, quod veteres inter *monetam*, quae talenti nomen habet, et inter talentum quoad *pondus* spectatum distinxerint, quodque talentum primo modo consideratum multo minoris pretii ac valoris fuerit, quam sumtum altero modo. Denique ad quaestionem: *Quanti ergo valoris seu pretii totus davidicus thesaurus fuerit?* iterato memoratus auctor nihil determinate respondet, sed contentus, se ostendit

disse quod ille thesaurus multo minoris fuerit valoris ac pretii, quam si talenta auri et argenti a *Davide* collecta quoad *pondo*, et non in ratione *monetae fictae* sumerentur, duntaxat generatim ait: *Tanta fuit summa dicti thesauri, quanta divitiis populi israelitici amplitudini regni Davidis durationi regiminis huius regis, eiusdemque propositi* (puta intentioni aedificandi magnificentum illud templum hierosolymitanum) *commensurata erat.*

COROLLARIUM. In sententia *Bulleti* hactenus explicata non est necesse dicere quod talentum tempore *Davidis* fuerit minoris ponderis et valoris, quam ante tempora *Davidis*; prout aliqui (2) volunt. Nam cl. *Bullet* solum contendit, tempore *Davidis* fuisse discrimen inter *pondus* talenti, et *monetam* cui talenti nomen erat, hancque fuisse minoris pretii quam *pondus* talenti; quaestionem autem et controversiam, utrum *pondus* talenti tempore *Davidis* fuerit idem et aequale illi ponderi, quod ante tempora dicti regis talentum habuit, non attingit.

87. QUÆRES XI. *Quomodo David totam templi delineationem manu Dei scriptam acceperit, prout in Scriptura* (1. Paral. 18, v. 19) *narratur?* R. Variæ sunt interpretum explicationes, quarum nulla implicat, circa modum, quo Deus *Davidi* descriptionem templi dederit. Verisimilior est explicatio *Caietani, Est, Salian.*, *Calmeti* et aliorum dicentium, hanc descriptionem a Deo factam, non fuisse corpoream sed intellectualem, nimirum impressam divinitus intellectui *Davidis*; ab hoc autem, vel huius iussu depictam *Salomoni* datam. Favet huic expositioni textus hebraicus, qui ad litteram ita habet: *Haec omnia in scripto manus Domini su-*

(1) *Iliad*. l. 23.

(2) Vide supra n. 84.

per me, id omne opus mihi significavit, perinde ac innuere vellet, dum in extasin raptus esset, in Domini revelatione, cum manus Dei esset super illum, vidisse, id veluti ante oculos suos delineatum, atque supernaturali afflatum lumine omne opus spectasse, quod deinde graphice delineandum curarat, ut illud Salomoni exhiberet. Alii putant Davidem de manu Samuelis vel prophetae Nathan iussu Dei templi descriptionem iisdem divinitus revelatam accepisse.

88. QUÆRES XII. Quò sensu David senex (1. Par. 29, v. 1) Salomonem filium suum iam adultum et regno maturum vocavit ADHUC PUERUM ET TENELLUM? R. Cum Abulensi et Menochio rex David iam senex, cum regnum et aedificationem templi iamiam committeret Salomoni, hunc appellavit adhuc puerum et tenellum, non absolute et simpliciter ratione aetatis (nam vigesimum secundum annum Salomon iam agebat), sed vel comparatione sui i. e. Davidis, qui septuagesimum iam superabat; vel respectu habito ad magnitudinem operis mox suscipiendi, scilicet regni gubernandi et templi aedificandi, quod utrumque requirebat hominem omnibus naturae, artis, doctrinae, prudentiae, experientiae praesidiis cumulate instructum. Unde David addidit: *Opus namque grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo.*

CAPUT II.

De libro II. Paralipomenon.

89. QUÆRES XIII. Quomodo verba illa (2. Paralip. 1, v. 13): VENIT ERGO SALOMON AB EXCELISO GABAON IN IERUSALEM CORAM TABERNACULO FOEDERIS, concordent cum verbis illis

(1) Commentar. in II. Paralip. c. 1, v. 15.

(ibid. v. 3): IN EXCELISO GABAON ERAT TABERNACULUM FOEDERIS? Si enim in excelso Gabaon tunc fuit tabernaculum foederis, quomodo simul potuit esse in Ierusalem? R. Cum Tirino (1) et aliis. Arca tum iam translata erat in Ierusalem, solo tabernaculo in Gabaon adhuc existente, ex quo loco Salomon redibat in Ierusalem. Hinc textus hebraicus loco coram habet de coram tabernaculo foederis, כרפני אהל ברוד, Et septuaginta interpretes verterunt: a facie tabernaculi. Aliam insuper responsionem suggerit cl. Widenhofer (2) dicens, tabernaculum quidem prout erat contradistinctum ab arca, tum non fuisse in Ierusalem: attamen ibi fuisse arcam, quae quia praecipuum tabernaculi sanctuarium erat, pro tabernaculo sumi potest per figuram synecdoches.

90. QUÆRES XIV. Quomodo concordent verba (2. Paralip. 2, v. 2), ubi praepositi operariorum ad structuram templi dicuntur fuisse 3600, cum verbis (3. Reg. 5, v. 16), ubi tantum 3300 praepositi numerantur? R. cit. loc. Paralip. sermo est de praepositis tam ordinariis quam extraordinariis, qui ordinariis invigilare debebant. Contra in cit. loc. Reg. sermo est de ordinariis solum praepositis. Nam ex 3600 erunt trecenti, qui ipsis praepositis ordinariis praeerant, quosque addit et supplet liber Paralip. Ita Vatabl., Caiet., Salian., Cornelius a Lap., aliique.

91. QUÆRES XV. Quomodo concordet locus Scripturae (2. Paralip. 3, v. 1), ubi Salomon dicitur aedificasse domum Domini in monte MORIA, cum alio Scripturae loco (Ps. 77, v. 68) ubi eadem dicitur aedificata in monte SION? R. Mons Moria est pars montis Sion. Nam in

(2) Commentar. in eundem Scriptur. locum.

monte Sion David fuit, et in aliqua illius parte quae dicebatur Moria, erat templum extractum. Et sane coaequata a Salomone voragine Mello (1), quae inter montem Sion et montem Moria interiacebat, uterque mons videri unus mons poterat, et qui maior erat (nempe mons Sion) alteri communicare suum nomen potuit. Dein non raro in sacra Scriptura mons Sion per synecdochen pro tota Hierosolyma sumitur. Vide Lorinum (2) et Bonfrerium (3).

92. QUÆRES XVI. Quomodo concilietur Scripturae locus (2. Paral. 3, v. 4), ubi de templo dicitur: PORRO ALTITUDO CENTUM VIGINTI CUBITORUM ERAT, cum alio Scripturae loco (3. Reg. 6, v. 2) ubi templum duntaxat TRIGINTA CUBITOS IN ALTITUDINE HABUISSE legimus? R. Nulla hic est contradictio. Nam templum Salomonicum constabat aedificiis velut totidem partibus diversae altitudinis. Aedificium intimum, in quo ministrabatur Deo complectebatur sancta sanctorum, et sanctum seu templum antierius habens triginta cubitorum altitudinem a pavimento usque ad tectum de trabibus cedriinis. Atque de hac altitudine sermo est in lib. Reg. cit. loc., ut Tirinus (4) observat. At praeter hoc aedificium erat aliud, quod instar magnae turris quadrilaterae in ipsa templi fronte (5) assurgebat, et hoc habebat altitudinem centum viginti cubitorum, ut in Paralipom. cit. loc.

(1) Mello nomen hebraeum significat reptetum. Hoc nomen inditum fuit valli profundissimae, inter veterem urbem Ierusalem, sive Ierusalem, et novam a Davide in monte Sion aedificatam iacenti. Hanc vallem aggesta humo replendam curarunt David et Salomon (III. Reg. c. 9, v. 15; et II. Reg. c. 5, v. 9; et I. Paralip. c. 11, v. 8), ut in plateis cogendis populis complanaretur. Vide Calmeti, dictionarium bibl. v. Mello.

(2) Comment. in II. Paral. c. 3, v. 1.

(3) Comment. in Dent. c. 33, v. 12.

dicitur. Vide Salianum (6), et Calmetum (7).

Aliam responsionem ad solvendam propositam hic quaestionem suppeditat Cornelius a Lap. (8), et ita ait: « Altitudo templi usque ad primam contignationem, sive usque ad primum tabulatum, erat triginta cubitorum, ut in lib. Reg. cit. loc. dicitur: altitudo vero eiusdem usque ad summam contignationem, sive usque ad summum tectum et pinaculum, erat centum viginti cubitorum, ut in lib. Paralip. dicitur. Erat enim quasi aliud aedificium supra templum, ubi repositi fuere templi thesauri, donaria, vota, item vetus tabernaculum Moysis, et Davidis altare etc.: ita Eucherius, Abulensis, et passim interpretes. Vide Riberam (9), et Villalpandum (10). Tanta altitudo et moles templi sustentabatur crassis parietum muris, quibus incumbibat. Muri quoque fulciebantur per suas parastadas (vulgo pilastras), et antherides, de quibus vide Villalpan. »

93. QUÆRES XVII. Quomodo Hiram rex Tyri (2. Paralip. 8, v. 18), naves Salomoni in Asiogaber, quae est (Ibid. v. 17), ad oram maris rubri, mittere potuerit? Aut an naves e portu tyrio qui ad mare mediterraneum situs est, per intermediam terram continentem ad oram maris rubri devehit potuerint? R. Non desunt exempla navium ab uno loco in alium dissitum plaustri devectorum. Sic Alexander M. teste Strabone (11) plaustri Tapsa-

(4) Comment. in III. Reg. c. 6.

(5) Vide Calmet comment. in II. Paralip. c. 3, v. 4.

(6) Ad annum mundi 3024, n. 18.

(7) Loc. cit.

(8) Comment. in III. Reg. c. 6, v. 2.

(9) L. 1 de templo, c. 5.

(10) Tom. 2, part. 2, lib. 4, c. 12, p. 267.

(11) L. 16.